



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciaae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Adelhardvs Abbas. Huysse pago Flandriae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

ALDEGVNDIS VIRGO.

Gandavi.

20. Iulij. **F**ilia fuit S. Basini Reguli ac Martyris, quæ temporibus S. Amandi Trajectensis Episcopi circa annum 640 Deo seruiuit in Trunchinio iuxta Gandauum vbi cum patre quieuit in Canonicorum regularium Ordinis Præmonstratensis Abbatia per Iwanum à Gandauo Comitem Aloftanum anno 1137 fundata. De eadem plura vide in vita S. Basini patris eius 14. Iulij.

ADRIANVS INTERNVNTIUS.

Gandavi.

19. Mar **C**um sancto Landoaldo Roma in Belgium venit à Martino Papa primo rogatu D. Amandi missus. Martyrem eum in fastis vocat Miræus. Sepultus fuit in Wintershouë & anno 980 ad D. Bauonis translatus, vitâ eius conscripsit Nodgerus Leodiensis Episcopus. Vide plura apud Gazaum in Historia Belgij Ecclesiastica.

ADELHARDVS ABBAS.

Huyssse pago Flandria.

2. Iann. **C**orbeia duplex est vna Gallica seu Francica in diocesi Arabianensi, altera Germanica seu Saxonica in Diocesi Padebornensi, vtraque illustris Benedictinorum Monachorû Abbatia, hodieque florens. Francicam Bathildis regina Francorû eiusque filius Lotharius Rex ad Somonam fluuium fundarunt. Saxonicam ad visurgum fluuium anno 822. Ludouicus pius Imperator Caroli Magni

Magni filius suadente S. Adelardo edificare cepit, ut Lambertus Scafnaburgensis tradit, aut anno proximè sequenti ut ex Adamo rerù septentrionaliù scriptore Baronius in annalibus colligit. Fuit autè Adelardus primù Monachus, post Abbas in corbeia Gallica, ex Caroli Magni Imperatoris stirpe prognatus patria & patrimonium illi fuit *uscia* vulgo *Huyffe*, pagus primo lapide ab Aldenarda opido Flandriæ situs, idem & *berthenium* agri Louaniensis pagum in bonis possedit; vtriusque loci etiamnum patronus est Abbas Corbiensis, teste Gazæo. Vitam eius à Surio edità vnus familiarium descripsit, quam plerique Paschalis Ratberto, Sexto illius in Corbeia successorì attribuunt. Ioannes tamen Molanus alterius cuiuspiam esse putat; ita Miræus in factis.

AMELBERGA VIRGO.

In Monte Blandinio iuxta Gandauum.

Belisiæ à S. Landrada piis moribus institutam fuisse ^{10. Jul.} tradunt, diu vixit ac demum anno 772 obiit in sui iuris villa Tamisia seu Temseca ad Scaldim in dioecesi Gandensi & agro Wasiano, vbi hodieque tumulus eius ostenditur. Corpus Virgineum Balduinus ferreus Flandriæ Comes anno 890 ad Blandiniense monasterium transtulit. Venit autem, inquit Molanus, consilio S. Willibrordi Belisiam, ut istic à D. Landrada quæ monasterio istic preerat, in pietate formaretur. Brachij eius os confregisse putatur Carolus Martellus princeps, ut eam sibi raperet Sponsam quam etiam plane cepisset vxorem, nisi pudicitia virginalis de eo triumphans penitus obstitisset. Migravit ad Dominum anno 772 aut circiter. Scribit Maffæus ciues Gandauenses (tantæ ipsis olim venerationi &